

liche Wohlthat der unendlichen Liebe Gottes, dass wir in Tosti das Ebenbild Gottes so lebhaft und glänzend wiederfinden, indem er eine staunenswerte Raschheit der Anschauung und Auffassung, die Gabe der feurigen und wirksamen Rede, einen einfachen, aufrichtigen, gutmüthigen und heiteren Charakter bezass, mittelst dessen er sich zum höheren Geistesleben emporschwang und die Eitelkeiten dieser Welt geringschätzte? Weder die Gier nach Geld noch sonst irgend ein niedriger Trieb war in ihm zu finden, wohl aber war er stets von einer grossen Sehnsucht erfüllt, Kirche und Vaterland blühend, und ganz besonders in schönster Harmonie zu sehen. Sicherlich fehlt in diesem Gemälde, an dem ich mit grosser Befriedigung Tostis Bild wieder erkenne, der Schatten nicht ganz, wie schon früher angedeutet worden. Aber wo gab es jemals einen Menschen, der von allen Schwächen frei gewesen? Und wäre es vielleicht gerecht, über die schönsten, reichbegabtesten und edelsten Menschen, die ihr Leben im Dienste Christi, der Kirche, des Papstthums, des Vaterlandes, der Wissenschaften und der schönen Künste zugebracht haben, den Stab nur aus dem Grunde zu brechen, weil ihr Denken, Lieben, Sehnen und reiches Schaffen bei einer grossen Lichtfülle etwelche Schatten aufweist?

Du aber, o theuerster Freund, falls es mir nicht geglückt ist, dein Bild in diesem Buche getreu wiederzugeben, so übe von dem Orte der seligen Anschauung Gottes, wo du dich, wie ich zuversichtlich hoffe, befindest, Nachsicht und Geduld mit mir! Würdige mich eines freundlichen Blickes und erlange mir von Gott die Gnade, dereinst mit dir und allen denjenigen, die mich liebten und lieben in der ewigen Anschauung und Liebe des Allerhöchsten vereinigt zu werden.

Expositio in psalmum 45 (44): »Eructavit cor meum verbum bonum«

exarata a Fr. de Sales Tiefenthal, O. S. B.

(Fortsetzung und Schluss zu Heft II—III. 1900, S. 340—348.)

Adhuc magis explicatur argumentum inceptum.

Versu 6, ubi populi inimici Regis Christi sagittis eius acutis in corde feritum iri dicuntur, ita ut cadant sub eum et eius amplectantur fidem. Dulces hae sagittae, quamvis acutae sint, dicuntur, et oritur Christus, ut eas magna copia emittat donec conversi sint ad eum omnes. Hoc imprimis etiam intelligatur de Roma, capite et corde imperii Romani et superstitionum ethnicarum, quae per Christum dispositione mirabili facta est metropolis Religionis suae et civitas sacer-

dotalis et regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis.“ S. Leo M. Diffuse, sed pulcherrime de hac re agit celeberrimus poeta Aurelius Prudentius († 413) in duobus libris contra Symmachum in Migne S. l. 60, 111—275. Libet apponere ex libro 2^o versus 440 et 441:

„Gratemur, jam non dubitat: nam subdita Christo
Servit Roma Deo, cultus exosa priores.“

„Omnino sagittae Domini nisi potentissimae forent, in subito non omnem mundum servientem Christo prosternerent, neque corda omnium valide terebrarent.“ S. Pasch. Radb. 120, 1031. „Felix cor quod talibus quotidie afficitur sagittis talibus vulneratur spiculis, et concrematur incendio divini amoris.“ S. Pasch. Radb. 120, 1032.

Descriptis effectibus sacri belli Messiae, describitur Messias ipse in tertio inciso.

V. 7. Solium tuum, Elohim, permanet¹⁾ in saeculum et in sempiternum,
Sceptrum rectum est¹⁾ sceptrum dominationis tuae.

V. 8. Diligis iustitiam et odio habes iniustitiam,
Propterea unxit te Deus, Deus tuus,
Oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Admirati sumus in praecedentibus magnificentiam Messiae, indicat poeta nunc versu 7 eius originem, dicens, eum esse Deum: propterea eius regnum permanere in aeternum et eius dominationem esse dominationem rectitudinis.

De primo bene scripsit s. Bruno Astensis: „Quem in titulo dilectum et nunc in hoc psalmo regem dixit, modo apertius et manifestius Deum vocat, quatenus Judaei Scripturarum depravatores, neque de Salomone, neque de alio quolibet praeter Christum exponere valent“, 164, 856. Et s. Paschasius Radbertus: „Non quod prior aut posterior Deus a Deo sit, cum Pater et Filius unus et sempiternus sit Deus: sed mysterium incarnationis prophetica vox declarat... ac per hoc in utraque natura unus est Christus.“ 120, 1033—1034. Mysterium autem unionis utriusque naturae in Christo in unam personam paucis tantum Veteris Testamenti electis clare patebat. Videbantur in coelo nocturno Veteris Testamenti duo sidera promissionis, unum annuntians Jehovahae descensum, alterum filii Davidis ascensum, quae coniuncta effecerunt sidus novum, Jesum Christum, fugans noctem Veteris Testamenti et adducens diem Novi Testamenti. Quae cum ita sint, impossibile est, ut regnum Christi, id est, Ecclesia, destruat,ur,

¹⁾ Intelligentiae causa positum.

sed manet in aeternum, ut attestatur Deus apud Daniele 7, 27 et in epistola ad Hebraeos 1, 8—9 et innumeris aliis scripturae locis.

Secundum autem fluit ex primo, nam cum Deus sit sanctus amor, regnum eius non potest esse nisi regnum rectitudinis, id est observationis legum tum naturae tum revelationis. „Virga, inquit, et sceptrum regni tui rectum est, et a iustitia et aequitate non recedit. Neminem sine causa percutis, neminem qui flagellis dignus sit, impunitum abire permittis.“ S. Bruno Astensis 164, 856. — Continuatur idem argumentum.

Versu 8. Regnum Messiae pro fine habet iustitiam et sanctitatem hominum, regibus terrestribus divitias, potentiam, honorem concupiscentibus. Rex Messias ergo ducitur amore hominum, reges terrestres amore proprio, uti ostendit Pharaos, Nabuchodonosor Judithae, Nabuchodonosor Danielis, Alexander Magnus, Imperatores Romani ethnici etc. Regna mundi sunt opera hominum vel etiam Satanae, regnum Christi originem trahit a coelo, ut eruitur e Daniel c. 2 et 7. Joh. 18, 36. Apoc. c. 12—c. 14. Baruch 3, 9—4, 4.

Propterea dicit hic Vates ad Messiam: Diligis iustitiam et odio habes iniquitatem. Sed quamvis principes terrestres semper intenti sicut dilatare proprium regnum, adiuti a Satana, a propria concupiscentia et a falsa philosophia, sicut ostendit. Apocalypsis c. 12—c. 14 et c. 17—c. 20, nihilominus multo superantur a Messia et extensione et duratione dominationis, nam ipse est rex regum et dominus dominantium et regni eius non erit finis.¹⁾ Quapropter additur hic: Propterea unxit te Deus, Deus tuus (cfr. Apoc. 2, 7. 3, 2. 12), oleo laetitiae, id est, gaudiis regis, prae consortibus tuis, id est, prae omnibus regibus et principibus, cfr. Cantic. 1, 8 (7)—2, 7. „Unctus quippe Christus est oleo exultationis et unguento Spiritus Sancti prae omnibus participibus suis (Hebr. 1, 9), quia in eo totus fons unctionis a divinitate sua in humanitatem siquidem in uno eodemque Christo effluxit.“ S. Pasch. Radb. 120, 1036. Melius quam haec verba explicant dominationem Christi super reges terrae verba s. Augustini: „Attende gloriam Crucis ipsius. Jam in fronte regum Crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. Effectus probavit virtutem: domuit orbem non ferro, sed ligno.“ In Breviar. in Coena Dni. Et precatur Ecclesia in Parasceve: „Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei: ut eam Deus et Dominus noster pacificare, adunare, et custodire dignetur toto orbe terrarum: subiiciens ei principatus et potestates: detque nobis quietam et tranquillam vitam degentibus, glorificare Deum Patrem

¹⁾ Libet hic meminisse verba s. Gregorii VII. morientis: Dilexi iustitiam et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.

omnipotentem.“ Cfr. etiam ibidem Orationem pro Imperatore Romano.

Pergit vates ostendere in quarto inciso, quomodo Deus Messiam unxerit, id est, ornaverit pro die nuptiarum eius qui est dies laetitiae cordis eius amantissimi, cfr. Cantic. 3, 11.

V. 9. Myrrha et aloë, casiae omnia vestimenta tua,
E palatiis eburneis fides (sonitus chordarum) te delectant.

V. 10. Filiae regum inter charas tuas,
Astat regina ad dexteram tuam
In auro optimo ophirico.

Hic de nuptiis Messiae cum genere humano per synagogam sermo est, simulque hoc incisum transitum format a prima ad secundam partem psalmi.

In versu 9 primo describuntur vestimenta Messiae quae tota bonis adoramenti constare dicuntur, secundo palatia, in quibus versantur filiae et regina ei adducendae, e quibus iam iam eum sonitus chordarum delectat. — Vestimenta odorifera designant proprietates Messiae, quibus attrahit sibi animas rectas. Hoc sensu dicitur in Cantico Canticorum 1, 3 (2):

„Odoratui unguenta tua bona sunt,
Unguentum effusum nomen tuum,
Ideo virgines diligunt te.“

Quo in loco odoratus activum habens sensum eos significat qui capaces sunt percipiendi suavitatem ex Christi unguentis, qui iidem cum virginibus in tertia parte versus sunt. Tota autem vestimenta Messiae odorifera dicuntur in psalmo, sicut nomen eius unguentum in Cantico, quia notio Messiae manifestata semper acquirit corda hominum, qui non sunt praeiudiciis praeventi vel vitiis dediti. Propterea canit Ecclesia:

„Jesu, dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia“ etc.

Tria nominatim memorantur aromata, forsitan ad indicandum, totam Trinitatem per Christum operari ad coniungendos cum eo homines per sacras coelestes nuptias.

Myrrha ut planta est frutex similis arbori, pertinens ad familiam therebinthorum. Bonum spirat odorem, fert quoque resinam valde odoriferam, quae in Exod. 30, 23 primum locum occupat inter „prima odoramenta“, quae ad sanctam unctionem adhiberi debebant. Hic nomine myrrhae intelligere possumus divinitatem Messiae, quae fundamentum est omnium charismatum eius. Cfr. Cantic. 1, 13 (12). Eccli 24, 20., et quia Aloë sine dubio humanitatem eius significat.

Aloë אֶחָלֹת alias etiam אֶחָלִים iam in ore Balaam Num. 24, 6 (ubi Vulgata illud tabernacula interpretatur) occurrit, est arbor sat alta ligni pretiosi, quod ob odorem fortem et amoenum pro incenso et pro condiendis corporibus mortuorum adhibebatur Joan. 19, 39. Qua de causa hic non inepte pro symbolo humanitatis Christi accipitur. Cfr. Cantic. 4, 14. — Etiam

Cassia ob eius bonum odorem hic posita est. — Accipi potest pro symbolo omnium a Messia ad salutem hominum peractorum.

„Idecirco tria ista vobis, myrrham scilicet, et guttam, atque casiam, Spiritus Sanctus fragrare specialiter significavit, ut in omnibus unguentis vestimentorum Trinitas Deus fide sentiatur integra et intellectu odoretur impraesentiarum perfecto..., ita ut merito per hoc sanctae incarnationis Christi virtus et suavitas perpetuae benedictionis aromatizans intelligatur.“ S. Paschas. Radb. 120, 1036—1037.

Secundo dicitur Christus delectari sonitu chordarum e palatiis eburneis veniente. Nos per palatia eburnea nihil aliud intelligi posse credimus, nisi ecclesias per diversa terrarum loca existentes, quas propheta iam veris Christo cultoribus refertas videt. Quae bene comparantur palatiis eburneis: 1^o quia sunt domus regiae Christi eucharistici, cfr. III. Reg. 22, 39. Amos 6, 4. Cantic. 7, 5. — 2^o quia sunt pulcherrimi ornatus terrarum, ut patet. Videsis Kuhn, Kunstgeschichte. — 3^o quia praedicant sanctitatem et immortalitatem ad quod hic alluditur colore albo et duritia eboris. Per fides autem sonantes in illis palatiis eburneis et Sponsum coelestem delectantes, nihil aliud intelligere possumus quam fibras cordium sanctarum animarum concordantes et concinentes cum fibris sacratissimi Cordis Jesu, quo cantus Universi dirigitur ad laudem Dei. Quod bene illustratur dicto s. Fr. Salesii: „Si scirem esse in corde meo fibram non totam temperatam amore Dei, eam exterminarem.“ — Cum dicto optime convenit

Versus 10, ubi de regina et filiabus a Messia dilectis sermo est. Per reginam intelligatur oportet Ecclesia conversa e Judaeis tum initio religionis christianae, tum in fine mundi, quae eadem est cum Unica illa in Cantic. 6, 9 (8), et per filias aliae nationes conversae, de quibus s. Cantic. 6, 8 (7) dicit: „Sexaginta sunt Reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus.“ De qua re consulatur Commentar. nostrum in Cantic. „Regina, id est, Ecclesia primitiva.“ S. Bruno Carthus. 152, 831. „Ecce Roma, ecce Carthago, ecce aliae et aliae civitates filiae regum sunt.“ St. Augustin. ad h. l. Hae omnes sunt charae Messiae et stant ad dexteram eius, quia per eas dirigit cursum rerum humanarum. Adstant ei in auro optimo

ophirico, quo earum praestantia prae ceteris nationibus exprimitur. Quid revera sunt nationes ethnicae, quamvis abundant numero, comparatae cum Christianis?

Sic exhibito successu expeditionis bellicae Messiae Sponsi, vertit se poeta ad Sponsam tempore quando nondum conversa est. Incipit hic secunda pars psalmi, tribus constans incisis. In

Quinto inciso invitatur synagoga et gentilitas, ut audiant et sequantur vocem Messiae.

V. 11. Audi filia, et vide et inclina aurem tuam

Et oblivescere populum tuum et domum patris tui.

V. 12. Et concupisceat rex decorem tuum,

Quia ipse est Dominus tuus: adora ergo eum.

V. 13. Et filia Tyri cum munere vultum tuum deprecabuntur,
Divites populi.

V. 11. Hic versus revocat in mentem omnia quae fecit Messias per incarnationem et opus redemptionis peractum in populo Judaeorum ut hunc populum converteret ad se, et quod in fine saeculorum per effusionem gratiarum in eum ad eundem finem faciet. Nominatur hic synagoga filia, quae antea regina dicta est, affectionis et instructionis causa. Monetur tum synagoga, ut obliviscatur populum suum et domum patris sui, id est, ut exuat se affectibus nationalibus et terrestribus et spiritualis evadat. „Oliviscere populum tuum, id est, carnales observantias populi tui Judaici.“ S. Bruno Carthus. 152, 831. Pari modo iussus erat Abraham exire a terra sua et a cognatione sua et a domo patris sui, ut fieret pater populi electi (Gen. 12, 1). Ad quod s. Ambros. adnotavit: „Satis fuisset dixisse, de terra tua . . . Sed ideo addidit singula, ut eius affectum probaret“ etc. De Abr. l. 1. c. 2. Et pari modo etiam omnes qui volunt sequi Christum, omnes terrestres affectus abdicare et relinquere tenentur, ut Christus in multis evangelii dicit locis. Quantum damnum afferat principium nationalitatis, si nimis audiatur, patet e schismate Graecorum, ex historia sic dicti schismatis Avenionensis, ex invidia Regum Galliae in sacrum Imperium Romanum et domum Austriae, ex historia sic dictae reformationis seculi 16ⁱ etc. Quanti mali nunc causa est Italiae! Ametur ergo patria, sed magis Ecclesia!

V. 12. Si synagoga supra postulatum fecerit, Messias eam valde adamabit eamque virtutibus exornabit, ut valde sibi placeat, quia ipse revera est Deus omnipotens, et Dominus eius modo speciali, quia eam elegit et vocavit. Propterea naturale est, ut ipsa eum pro Domino et Deo suo agnoscat et vereatur. Magno quidem tenebantur pii inter Judaeos desiderio Messiae, ut probant

initium Canticum Cantorum, scripta prophetarum et Christus ipse in Evangelio, non autem alii. De cetero Imperativus in fine huius versus edicit quod pro certo eventurum erat et revera evenit, nam primi qui crediderunt in Christum fuerunt Judaei. De magno amore Messiae pro Synagoga magnifice loquitur Cantic. 8, 5—7. „Urget unda flammam.“ St. Petr. Chrysolog. Sed non Judaeorum, sed etiam gentium Deus est Christus, ut dicitur.

Versu 13^o, ubi Tyrus pro omni gentilitate posita est, et ubi dicitur, gentilitatem cum muneribus, et quidem ditissimos ex gentilitate venturos esse ad Ecclesiam, quod potissimum adimpletum est conversione Imperatorum, regum et principum, uti Constantini Magni, Clodovaei, Ethelberti, Stephani Hungarici, et vita vere christiana aliorum, uti Theodosii Magni, s. Henrici, s. Ludovici, s. Ferdinandi, s. Canuti, s. Erii, s. Olai. Quam ardentem desiderabat Christophorus Columbus ut mundus a se detegendus has sacras nuptias iniret! Salus autem ex Judaeis. „Neque enim in universo mundo tanta fidelium messis exsurgeret, si de manu Domini super rationalem terram illa electa grana praedicantium non venissent.“ S. Gregor. M. Hom. 29. in Evang.

Descripta vocatione et synagogae et gentilitatis, celebrantur earum nuptiae cum Messia in Sexto inciso.

V. 14. Tota gloria est filia regis intus,
Ex fundis aureis est vestis eius.

V. 15. In phrygianis deportatur ad regem,
Virgines post eam:
Amicae eius adducuntur ad te.

V. 16. Deportantur cum summa laetitia et exultatione,
Intrant in palatium regis.

Loquitur hic poeta de ornatu virtutum et synagogae et populorum ex gentilitate, quando nuptiis sacris coniunguntur cum Messia, et de magno gaudio quod hac de re est et in coelo et inter Dei cultores in terra.

Hoc incisum multis s. Cantici locis simile est. Mundus muliebris hic denotat perfectionem spiritualem. Ut mihi videtur, hic non tantum de perfectione acquisita synagogae et gentilitatis, sed etiam de acquirenda sermo est, cfr. Dan. 1, 4.

V. 14. Filia regis hoc in versu est synagoga, quae dicitur esse intus, id est, in domo sua vel parentum, unde sponsae deducebantur ad sponsum. Certe iam ante actum conversionis convertendus aliquam perfectionem habere debet ob praeparationem ad eundem actum. Cfr. Cantic. 5, 2—6, 9 (8). Propterea vestis filiae Regis hic dicitur fuisse e fundis aureis. Certe sancta multitudo quae post Accensionem Domini in coenaculo exspectabat descensum Spiritus Sancti, praecipue

Maria et Apostoli, iam Deo valde placebant, adhuc magis placituri post acceptum Spiritum Sanctum. „Utres novi erant, vinum novum de coelo expectabatur et venit.“ St. Augustin. in Breviar. feria II Pentecostes. Maior perfectio quam acquisivit sancta illa multitudo per descensum Spiritus Sancti describitur

V. 15. verbis: in phrygianis deportatur ad regem Messiam. Effectus autem interni Spiritus Sancti in die Pentecostes etiam se manifestabant externe, prout videre est in actibus Apostolorum. „Et tunc hoc erat signum, quicumque accipiebat, Spiritum sanctum, subito impletus Spiritu, linguis omnium loquebatur.“ S. Augustin. ut supra. Virgines, id est, populi, de quibus hic mentio fit, tantum tardius adducti sunt ad Messiam, prout notum est ex historia. Descriptio hic ad modum celebrandi nuptias apud Israëlitas facta est, quo virgines comitabantur sponsam, quando e domo propria ad domum Sponsi ducebatur. Ultima verba versus: Amicae eius, scil. filiae regis, adducuntur ad te, o Messia, sunt expressio gaudii prophetae de conversione gentium ad Messiam. Quod etiam valet de

Versu 16^o. Revera fuit dies laetus et festivus festum Pentecostes, quo per descensum Spiritus Sancti ecclesia fundata est. Illa die primitiae Judaeorum adductae sunt ad Christum. „Ab hoc igitur die tuba evangelicae praedicationis intonuit.“ S. Leo in festo Pentecostes. Tunc intrarunt primitiae Judaeorum in palatium regis Messiae. Fuit item dies laetus et praeclarus dies Natalis Domini anni Domini 496, quando per baptismum regis Clodavaei et multitudinis Francorum tota illa natio intravit in palatium, id est, in Ecclesiam Christi. Item dies Natalis Domini, quo s. Augustinus, Anglorum Apostolus, plus quam decem millibus Anglorum baptismum contulit. Sic decursu saeculorum multae virgines post filiam regis adductae sunt ad Christum.

Laetificatus de tam festiva visione, propheta in Septimo inciso vota facit pro sponsa.

V. 17. Loco patrum tuorum sint filii tui,
Constituas eos principes in omni terra.

V. 18. Memorabo nomen tuum in generatione et generatione,
Propterea populi laudabunt te in seculum et in aeternum.

V. 17. Acclamationem poeta subiungit, fausta precantem: Patrum tuorum loco sint filii tui! Filii tibi nascantur tales, qui patres virtute, dignitate et gloria referant, regnumque perpetua generationum serie perducant. „Pro Abraham et Isaac et Jacob et pro aliis reliquis qui illi placuerunt in vetere testamento, nati sunt discipuli, et nos qui per ipsos credidimus“ etc. Origenes M. S. gr. 12, 1431. Constituas illos principes in omni terra! regni tui regionibus diversis illos praeficias.

Quo regnum dilatandum supponitur, ut dicitur psalmis 2 et 110, Isa. 54, 2. Dan. 2, 35. 44. 7, 15. 22. 27. Zach. 2, 5—9 (1—5), Act. 1, 8. Marc. 16, 20 etc. Optima est adnotatio s. Chrysostomi: „Neque enim poterunt ea a nobis esse conficta dicere, cum non nos, sed qui Christum crucifixerunt, libros nobis praebeant, qui de eius potestate loquuntur.“ M. S. gr. 55, 183.

V. 18. Celebrabo nomen tuum, o ecclesia primitiva ex Judaeis, in perpetuum. Ex his verbis videmus poetam loqui nomine populi Dei in Vetere Testamento, qui continuatur et perficitur populo christiano. Propter hanc dispositionem divinam populi redempti omnibus temporibus celebrabunt primitivam ecclesiam ex Judaeis collectam. Conferatur pulcherrimum caput 49 Isaiae. „Mirabilis quidem gloria et ecclesiarum summum praeconium, inter tam multiplices hominum successiones, numquam finem laudis habere.“ S. Paschas. Radb. M. S. l. 120, 1054. Perpetuitas Ecclesiae optime cognosci potest e „Serie episcoporum“ confecta a Gams et e „La Gerarchia cattolica.“ „Inter eximia doctrinarum pascua, inter uberrimos deliciarum favos habita est collatio de psalmo quadragesimo quarto.“ S. Paschas. Radb. ibid. 996.

Absolvi Romae in collegio s. Anselmi in monte Aventino die 27. Martii 1899.

Kirchliche und politische Ereignisse in Tirol unter der bairischen Regierung.

Nach schriftlichen Aufzeichnungen des Marteller Frühmessers
Josef Eberhöfer.

Von Prof. Dr. Adelgott Schatz, O. S. B., approb. Lector der Kirchengeschichte.

(Schluss zu Heft II—III. 1900, S. 423—430.)

VI. Die kirchlichen Verhältnisse in Tirol nach dem Aufstande des Jahres 1809.

„Schon während des Aufstandes, im Frühjahr 1809 erhielten die vier gefangenen Priester in Trient (418) ihre Freiheit, worauf sie zur Freude ihrer Herde die alten Seelsorgsposten besetzten. Der grosse Jubel und die vielen Freudenthränen bei der Ankunft des wackern Decans Patscheider (25. April), der freilich sehr gealtert war, gereichen den Bürgern Merans zur Ehre. Leider lebte der ehrwürdige Priestergreis nicht mehr lange.“ Ein noch erhaltener, ungedruckter Necrolog¹⁾ über den theuren Verblichen erzählt uns folgende Details über seinen Tod: „Dienstag den 26. Februar 1811 um 10 Uhr nachts vollendete Decan

¹⁾ Stampfer, Meran 250; der Necrolog eines Anonymus Meranensis (Johannes Degeser?) liegt im Colleg.-Archiv der Benedictiner in Meran.